







DISSERTATIO  
IVRIS CONTROVERSI  
DE

IVRE DOTIS DOMINIO  
RECTE ACCENSENDO

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

PRAESIDE

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

COD. P. P. O. ECCLES. CATHEDR. MARTISB. CAPITVL. CVRIAE  
IN PROVINCIA SVPREMAE IVDIC. LVSAT. INFERIOR.  
NEC NON FACVLT. IVRID. SENIORE ET  
ACADEM. DECENV.

IN AVDITORIO ICTORVM

D. XXX. IVL. MDCCCLXXVII.

DEFENDENDAM PROPONIT

AVCTOR ET RESPONDENS

CARL AVGVST HORN


LIPSIENS.

LIP S I A E

EX OFFICINA RVMPFIA.







157









DE  
IVRE DOTIS DOMINIO RECTE  
ACCENSENDO.

---

 Augusti Imperatoris ex aevo iamiam Labeonis atque Capitonis iuris pronunciata haud pari ambulasse passum in memoriam reuoco, cum iuriscontrouersam materiam, iam dudum inter iureconsultos agitam, litteris consignandam meam extendi curam, nec ego vereor, ne quis id vitio mihi sit conuersurus, cum iam in fronte huiusce libelli eorum iureconsultorum fecerim mentionem, siquidem eorum memoria reuocata hoc certissimum axioma philosophicum: Grammatici certant, et sub iudice lis est, nostris obiicitur oculis: Id quod plerumque non solum inter modernos, verum antiquos iureconsultos etiam quod exemplo Labeonis et Capitonis comprobatur, de hac vel illa iuris materia exoriatur litigium, et ita quidem, ut plurima in iure reperiantur, quae diuersa et singulari iureconsultorum opinione animos nostros in ancipitem





curam cogitandi, decidendique reiiciant. Eamque ob rationem illam controuersam opinionem non dicam decidere, sed solummodo ex variorum iureconsultorum saragine proferre, in animum induxi: Dotem uidelicet dominio recte esse accensendam ad cuius quidem instituti rationem eo clarius aptiusque perspicendam, indolem dotis paucis excutiendam esse censeo.

§. I.

Originem dotis respicientes facile intelligimus dotem adinuentam esse ad meliorem nubendi conditionem consequendam, cum compertum habeamus, nuptiis cessantibus non dotem reperiri, *L. 3. l. 39. ff. de iur. Dot.* Licet nonnullas exceptiones adiiciant iureconsulti: test. *L. 6. §. 1. d. Cond. Caus. dat. L. 5. Cod.* quando dies legat. Hinc etiam Paulus nostrae adscripularum sententiae in *L. 2. ff. de iur. Dot.* dicens: Reipublicae nostrae interest, mulieres dotes saluas habere propter quas nubere possunt. Si quidem dote illata vxor sibi maritum coemeret, qua coemtionem in desuetudinem abeunte, duplicis tamen rationis gratia introducta fuerit, quarum altera deprehenditur in *L. 56. §. 1. ff. h. t.* qua haec Pauli uerba legimus relata: ibi dos esse debet ubi onera matrimonii sunt: Inde autem non potest non consequi, primam rationem dotis fuisse in ferendis oneribus, et cum iure Romano praeiis temporibus ante Constantini M. Imperatoris tempora concubinatus toleraretur, nuptias a concubinato discretas atque distinctas fuisse dote illata facile patet, licet enim uocula dotis uario accipiatu significatu, et quidem pro titulo transferendi ceu *L. 1. ff. h. t.* deprehenditur, qua Paulus ait: Dotis causa perpetua est, cum uoto eius, qui dat, ita contrahit, ut semper apud maritum sit: Maritus enim cum sit uxoris rei dotalis dominus ciuili, nec dominium sine titulo cogitari possit, hinc etiam dos saepissime loco tituli accipitur: Licet in *L. 40. ff. solut. marr.* Dos quomodo petatur, dicat Ictus Marcellus:




cellus: Post dotem datam et nuptias contractas stipulatus est pater filiae voluntate, diuortio facto dotem dari, si conditio stipulationis adimpleatur, et postea filia sine liberis decesserit, non erit impediendus pater, quo minus ex stipulatu agat, viua autem filia si agere vult, exceptione sumouendus erit, et ita facile cognoscere poterit quisque, dotis denominationem in hac lege acceptam esse pro ipso dotis subiecto: Attamen vix ex hac diuersa etymologia dos definiri potest: Potiori iure dotem vocare licet substantiam, quae ab vxore vel alio marito ad onera matrimonii sustinenda, data.

§. II.

Dotium haud vna atque eadem species hinc varie diuidi solet ab eruditis, aut proprie aut improprie ita dictam esse asserentes, atque priorem ex *L. 17. §. 1. de rebus auctoritate iudicis possidendis* aut veram aut putatiuam esse contendunt, quarum posterior denominatur, quae cum vera dos non sit, esse tamen putatur, quod euenire solet, si matrimonium suis non subsistit viribus, §. 12. *Inst. de nup.* Ast illa eadem habet priuilegia, quae alioquin doti verae attribuuntur *L. 22. §. fin. ff. solut. marr.* Deinde dicitur quoque dos vel constituta, vel promissa argumento *L. 6. et 12. Cod. de Dor. prom.* ad causam efficientem respiciendum quam nonnulli in iure gentium arg. *L. 8. ff. de cap. min.* nonnulli in matrimonio quaerunt, quoniam dos sine matrimonio cogitari nequeat sec. *Ulp. L. 3. ff. h. t. L. 20. pr. Cod. de donat. ant. nupr.* Licet matrimonium sine dote existat, exemplum habes in matre non compellenda, vt dotet filiam, cum tamen eam alere teneatur, nam sine alimentis naturalibus secundum Iustinianum *L. 11. in fin. pr. Cod. de repud.* nemo, omnino viuere intelligitur sine dote, quoniam non cum dote, sed cum affectu matrimonia contrahuntur, quamuis quidem asserant matrimonium pro vera dotis causa habendum non esse, alias enim omne matrimonium





dotem tanquam effectum produceret, sine qua tamen esse potest *L. 22. Cod. de nup. L. 30. pr. Cod. de donat. ant. nupt. L. 11. pr. Cod. de repud. nec mouere aiunt, quod dos non possit esse deficiente matrimonio L. 3. ff. b. t. istud enim non exigi tanquam causam efficientem, sed tanquam accidentem: Huius promissae dotis gratia etiam respiciendum esse censeo, an illa in definitiva, quae fit simpliciter sine demonstratione rei, vel definita, quae alicuius rei demonstrationem continet, sit promissa, et utraque valet, si fiat a patre *L. 69. §. 4. b. t.* quod si vero dos ab extraneo promissa sit nullum habet effectum *L. 1. Cod. de dot. prom.* nec obsistit huic differentiae quod in patre pariter, ac in extraneo sit fauor dotis, cum haec quaestio non decidenda sit a fauore, sed multo potius ab obligationis differentia, nam extranei promissio plane nihil certi continet, patris tamen aliquid certi habet ex iuris constitutione. Tertia autem species dotis improprie ita dictae deprehenditur aut in dote cauta *L. 1. Cod. de dot. caut. non num.* priorem nominant, quem maritus reuera accipit, posteriorem autem quando socer genero scripturam exhibet de dote accipienda percipiendisque fructibus. Quod autem attinet ad dotem proprie dictam, illa aut profectitia aut aduentitia esse reperitur, quarum prior a patre ortum ducens, ab aduentitia e largitate matris aut extranei promanante in iis differri intelligitur, quod illa vxore rebus humanis exenta regulariter ad patrem reuertatur, haec autem permaneat apud maritum *L. 6. pr. ff. b. t. l. 4. Cod. sol. matr. Vlp. in frag. tit. 7. §. 2.* adiciunt iureconsulti etiam dotem voluntariam, quam dotantis arbitrio proficisci aiunt, et necessariam praecipue ex patriae potestatis iure exorientem, si quidem pater teneatur, vi patriae potestatis, filiabus familias dotem ad meliorem nubendi conditionem consequendam exhibere *L. vlt. Cod. de dot. prom. l. 19. ff. de rit. nupt. l. 17. Cod. de SC. Maced.* Ideo verius quo minus mater patriae potestate destituta teneatur filiabus dotem suppeditare, nisi cas-  
 cau-*



causas adducas, quae reperiuntur in *L. 14. Cod. de iur. dot. L. 19. §. 1. Cod. de haer.*


§. III.

Modus autem dotem constituendi animo nobiscum repu-  
tantes, facile intelligimus aut pacto, aut stipulatione constitui,  
vbi autem silentio praetermittendum non est, pactum de dote  
infirmius esse stipulatione, siquidem prius pactis non nudis ac-  
censeatur, et quondam pacti nudi formam induisset, stipulatione  
autem tanquam contractu dos constituta prouidens producit  
actionem, quam tamen differentia inter pacta nuda et non nuda,  
seu vestita sublata merito reuocamus subtilitatem, omne pactum  
deliberato animo in initum producere obligationem considerantes  
siquidem *L. 6. Cod. de dot. prom.* nec utilis nec necessaria videatur,  
cum sciamus, omnem dotem quocumque promissam actione ex  
stipulatu peti posse *L. 9. §. 1. Cod. d. R. V. A.* vnde actionem ex  
stipulatu atque hypothecam cuiusque doti inesse intelligimus,  
quamuis quidem nonnulli dicant, dotis constitutionem esse con-  
tractum realem, nam vt contractus realis per traditionem con-  
stituatur, requiritur, vt ita inter partes conuentum sit, quo  
inde exoritur obligatio, immo accedit, vt ex dote actio exsti-  
pulatu proficiatur, quam ex contractu reali deriuare absurdum est.

§. IV.

Non omnis autem compelli potest ad dotandum, nec quis-  
que dotandus hinc dotis subiectum paucis excutere proficiet.  
Subiectum igitur consistit in personis partim dotem constituentibus,  
partim quibus constituitur, et quid ad personas dotem  
constituentes pertinet, vt plurima exempla proueniunt in *L. 1.  
Cod. de dot. prom. L. 4. L. 18. L. 28. L. 22. pr. ff. solut. marr. L. 37. ff.  
b. i.*





*h. t. L. 41. ff. h. t.* Praesertim autem pater compellitur filiam in patria potestate versantem dotare. *L. 19. Cod. de rit. Nup.* quae determinanda dos secundum dignitatem mariti et facultatem patris, quam tamen dispositionem iu iure Saxonico cessantem comprehendimus, cuius vi pater compelli nequit ad dotandum suam filiam, nisi id faciat sponte. Cui autem sit constituenda, exempla habes in *L. 59. pr. ff. h. t. L. 57. ff. eod. L. 19. h. t. L. 14. ff. de fund. dotal. L. 22. §. 12. ff. de solut. mair.* Quo loco praetermittenda non est illa quaestio, quid dotis loco constitui queat, et intelligimus tam res mobiles, quam immobiles posse constitui. *L. 30. Cod. h. t.* nec minus res fungibiles *L. 42. ff. h. t. L. 11. §. 7. Cod. de rei ux act. praedia tam urbana quam rustica. L. 13. pr. ff. de fund. dot. et vt plurima alia, quae reperiuntur in L. 18. Cod. h. t. L. 7. §. 2. L. 66. L. 78. eod. L. 2. Cod. de obl. et act. L. 12. §. f. L. 36. L. 41. §. 3. ff. h. t.* Sed quid, num queat etiam res aliena in dotem dari? Id quod affirmatur per *L. 6. §. 1. L. 34. L. 81. ff. h. t.* et ita quidem, vt vsu capiendi effectus, licet verus dominus non impediatur ius suum persequi, *L. 34. et 67. ff. h. t.* Res enim alienae non fiunt dotales in casu consumptionis vel usucapionis, sed per ipsam traditionem *L. 6. §. 1. ff. h. t.* Res enim dotalis non dicitur ab obiecto, vel subiecto, sed multo potius a causa et intentione, ex qua et propter quam res tradatur, non secus ac res vendita et oppignorata appellatur, licet sit aliena, *L. 28. ff. de contr. empt. vend. L. 11. §. 2. ff. de act. emr. L. 9. §. 1. ff. de pig.*

### §. V.

Rebus expositis, quae plerumque in dotem computantur, iam quoque animo nobiscum modum reputandum esse censemus, quo illae res in dotem constituuntur. Hic autem dupliciter fieri potest, nam res dotales aut aestimatae aut inaeestimatae dantur in dotem, quam distinctionem legibus haud incongruam reperimus, ita enim in *L. 30. Cod. d. l. Dot. diuum rescriptisse*  
 Augu-




Augustum animaduertimus. In rebus dotalibus siue mobilibus, siue immobilibus seu se mouentibus, si tamen existant, siue aestimatae siue inaeestimatae sint, mulierem in his vindicandis omnem habere post dissolutum matrimonium praerogatiuam iubemus, qua quidem constitutione nullam intercedere differentiam inter dotem aestimato et inaeestimato datam ratione vindicandi intelligimus, sed tamen plane non differre dotem aestimato et inaeestimato datam asserendum non est, respiciendum, etenim, an dos aestimato data taxationis aut venditionis gratia constituta sit, quam priorem speciem comprehendimus in *L. 21. Cod. d. §. Dot.* vbi haec verba legimus relata: si inter virum et vxorem pactum sit interpositum, vt si matrimonium intra quinquennii forte tempora sit dissolutum, quoquo modo species aestimatae doti datae pretiis, quibus aestimatae sunt redderentur, manifestum est, non pretia specierum dari, sed ipsas species debere restitui, cum in placitis specierum reddendarum idcirco specierum nomen videatur annexum, ne si species aliqua deminuta fuissent, aut alio pretio, quam quo taxata fuerat reposceretur: cuius quidem dispositionem facile quisque differentiae inter dotem taxationis et venditionis gratia datam intercedenti accommodabit, si quidem dos aestimato taxationis gratia data in natura sit restituenda, nam vxor fieri solet mariti creditrix, debitor autem maritus vxoris, creditori autem cum inuito aliud pro alio obtundi nequeat, hinc quoque maritus omnesque illi ad quos dotales peruenerunt, dotem aestimato taxationis gratia datam, in natura, nec aliud pro alio restituere compelluntur. Contrarium autem occurrit in dote aestimato venditionis gratia data, qua is, qui dotem accipit neuiquam compelli potest ad eandem speciem restituendam, veluti elucescit ex *L. Vn. §. 2. Cod. d. R. V. A.* Quam tamen distinctionem inter dotem aestimato taxationis, et venditionis gratia datam haud esse vnicam, sed etiam commode illud discrimen adhibere potest, quod acquiescit aut in periculo, siquidem dotis aestimato taxationis

B

gra-





gratia datae pertineant ad vxorem venditionis autem constitutae ad maritum. Nam quod si Caia marito aedes dotales intulerit, et illae incendio deletae fuerint, hunc casum Caia sentiet, si dos taxationis gratia fuerit constituta, si autem venditionis gratia facta, damnum casu superueniens ipse maritus patietur, aut quoque ratione accessionis, nam dotis taxationis gratia datae est vxoris, venditionis autem gratia dotis aestimato datae est mariti: Quod si enim v. c. metalli fodina in dotem data fuerit, partes metallicae inde proficiscentes in dote taxationis gratia data vxori cedunt, in dote autem venditionis gratia data penes maritum solent permanere, quod tamen exemplum secundum Iuris Romani principia, et in inductu dominii marito in res dotales competentis est intelligendum nec principia Iuris Germanici aut dispositionem *L. 7. §. 13. ff. de sol. matr.* in contrarium esse adducendum facile est ad intelligendum, siquidem allegata legis dispositio solummodo de constituto usufructu differat, nec dominio marito competenti attemperare queat. Haec cuncta autem recte se habent, si inter maritum vxoremque pactum fuerit interpositum, an dos taxationis aut venditionis gratia constitui debeat, hinc autem marito quaestio excutienda videtur, quam regulam adhibendam esse si nihil inter maritum et vxorem conuenerit, nam dein dos taxationis aut venditionis gratia data sit habenda, quam quidem quaestione facillime componamus, si iis fidem adhibemus quae occurrunt in *L. 5. et 10. Cod. de I. Dot.* Nam si lex prior ait, quotiens res aestimatae in dotem dantur, maritus dominium consecutus, summae velut pretii debitor efficitur. Si itaque non conuenit, vt soluto matrimonio restituerentur, et iure aestimatae sunt, retinebit eas, si pecuniam tibi offerat: Qua cum concilianda posterior, qua haec sententia comprehenditur: Cum dotem re aestimatam accepisse prouidearis apparet iure communi per pactum, quod doti insertum est, formato contractu exempto actionem esse; Quis enim dubitet aestimationem a re mulieri deberi, cum periculo

tuo



tuo res deteriores fiant, vel augmento lucro tuo recipiantur. Hinc facile rationem esse reddendam, dotem venditionis gratia datam esse praesumi censemus. Quae igitur cum ita sint ex rationibus supra expositis, nemo nobis vitio ducat, dotem esse aestimato, et hanc taxationis aut venditionis gratia constitutam, aut in aestimato datam asserentibus, sed quod perriner ad priorem videlicet aestimato datam *L. 30. Cod. de I. dor.* adduximus, et eo loco mouendum esse censemus voculam in ea lege obuenientem *Tō* vindicare non accipiendam esse pro petitione vel assertionem dominii, ac si vxor dotis maneat constante matrimonio domina, nam *Tō* vindicare verbulum in §. 15. *Inst. de act.* et *L. 25. pr. ff. de Obl. et Act.* quoque accipitur, pro quouis iure reali prosequendo, hinc habet vxor constante matrimonio solummodo ius personale, dissoluto autem matrimonio ius reale quod prosequitur, si dominium eius, quod ei competebat in dotem reuiuiscat post dissolutum matrimonium. Dos autem in aestimato constituta in eo differre solet, a dote aestimato data, vt periculum prioris sit mulieris, posterioris autem mariti, secundum dispositionem *L. 10. pr. ff. b. t. L. 5. 10. Cod. eod. L. 24. ff. solut. matr. L. 11. Cod. de pact.*

### §. VI.

Cum autem materiam dotis non integram excutiendam in animam induxerimus, sed ad nostram opinionem eo clariorem reddendam, priora solummodo praemittenda duxerimus, iam ad propositum perueniemus, atque dotem dominio conimode esse accensendam demonstramus: Controuersia enim inter eos iureconsultos, qui haud una consentiunt voce quot species iuris in re sint, recensendae, quorum nonnulli quatuor esse recensent, atque dominium, seruitutem, hereditatem, adque pignus eo referre soleant, alii autem his speciebus quatuor, possessionem ab vt plurimis improbatam adiiciunt, quam quidem quaestionem



excutiendam nec nostrum esse nec materiae congruum intelligentes, omnino tamen hanc speciem eo esse referendam censemus, siquidem colonus etiam sit defendendus, non solum aduersus locatorem, et ita ex contractu verum aduersus quemcunque quoque cum turbantem in quieta possessione, et quidem ob ius reale quod ei competit: Nonnulli autem tres species iuris in re constituent, siquidem verbulum dominii in sensu lato accipiant, partim pro iure vniuersali, quale est ius hereditarium, vel singulari, quod iterum est rerum corporalium videlicet dominium stricte dictum, vel rerum incorporalium, puta seruitutem, sunt autem praeterea quidam, qui censent sex esse species iuris in re atque quidem sextam speciem in iure dotis quaerunt, cum autem nos supra L. 1. §. 4. ff. *dot. prael.* L. 5. *pr. ff. de impens. in res dotal. fact.* L. 31. §. 4. ff. *solut. matr.* adduxerimus, simulque dotem esse ius vniuersale simus professi. Hinc dotem comode dominio ceu tui vniuersali esse accensendam existimamus. Sed quid num haec quaestio composita habenda, an dos sit ius vniuersale, cum verba L. 1. §. 4. ff. *de dot. prael.* hanc sententiam continentes: Impensae autem ipso iure dotem minuunt, sed quod diximus ipso iure dotem impensis minui non ad singula corpora, sed ad vniuersitatem erit referenda: Magis eo spectare videantur, vt quaedam habeat priuilegia dos praelegata, praecipue ratione impensarum, quae heredibus mariti praestandae non sunt, si dos sit praelegata, et hinc hereditatem ipsam a defuncto relictam his verbis esse intelligendum, vnde redditur res dotalis non autem ad dotem ipsam, sed hoc dubium facile exploditur, partim vt Lex expresse dicat non ad singula dotis corpora, sed ad totam dotis vniuersitatem, propterea etiam in L. 50. §. 1. ff. *de iud.* ait Vlpianus tractatum est de aere alieno, si in ea prouincia, vbi fideicommissum petitur, plus esset aeris alieni, an quasi maior pars alibi esset, praescriptio locum haberet, sed et hic placuit nihil facere aeris alieni nomen, cum non loci sit aes alienum, sed vniuersarum facultatum. Ex quibus verbis etiam



etiam non potest non consequi, quin dos sit ius vniuersale, cum iureconsultus Vlpianus expresse aes alienum vniuersitatem dicat, et quis est, qui dubitet, quin etiam dos sit aes alienum, quod vxor in maritum ita transtulit, vt soluto matrimonio pro conditione dotis sit restituendum, nulla contraria opinioni nostrae sententiae allata, nam licet dos sit aes alienum, maritus omnino eius consequitur dominium, mutuum enim est quoque aes alienum, attamen debitor consequitur rei fungibilis dominium.

§. VII.

Dominium in manifesto est positum, esse facultatem in re constitutam, de re libere disponendi, eam vindicandi, omnemque vtilitatemque inde percipiendi, nisi vel lege vel conuentione, vel testatoris voluntate prohibeamur: En causam, qua re vt plurimi nobis acclamare solent: Num potest maritus libere de rebus dotalibus disponere, eam vindicare omnemque vtilitatem percipere? Ast haec contraria opinio nos non tangit, nam simillimam rationem exemplo in medium prolato reddamus: si Titius sub spe futuri matrimonii Maeuiae pudicitiam eripuerit, et deinceps Maeuia proclamaret, ad matrimonii consummationem, Titius autem recusaret fidem suam liberari, nec se ad consummandum matrimonium remediis compulsis cogendum esse censeret, quoniam in *c. requisit* 17. et *c. gemma* 29. *X. de sponsal. sanctum*: Omnia matrimonia esse libera debere: Num haec ratio iusta excusandi causa erit? id profecto nemo putabit, indole libertatis animo secum reputata, quod si enim libertas sit facultas faciendi quodcumque liber, nisi vel lege, vel vi prohibeamur, inde etiam illa est libertas, quae lege prohibetur, atque coercetur: experientia enim nos docebit: Titium posse intacta matrimonii libertate ad eiusdem consummationem compelli: Hinc etiam dominium lege, conuentione, aut testatoris volun-



tate restrictum permanebit, siquidem etiam dominus alicuius rei habetur, qui non omni effectu ex dominio exoriente gaudet. Lubentissimo enim concedimus animo, dominium mariti quodammodo restrictum, siquidem ei ius alienandi denegatur quae tamen prohibitio non est generalis, sed specialis, accommodatur enim solummodo ad fundum dotal. *pr. Inst. quib. ah. lic. vel. non L. 4. ff. de fund. dot. L. ii. C. eod.* haud inficiamur, mariti ius fundatum esse in re aliena atque dotem vxoris patrimonium dictam esse *L. 3. §. 5. ff. d. minor. L. 71. ff. de euct. L. 75. pr. ff. d. l. dot. L. 4. ff. d. Col.* Ast apud duos non potest esse dominium vnus rei *L. 19. §. 3. ff. de castr. peculio*, veluti enim hoc intelligendum de dominio secundum eandem rationem et eundem respectum, ita dos mulieris esse dicitur non actualiter et absolute, sed respectiue et in specie considerato euentu quod dissolutis nuptiis certo certius dos ad mulierem ipso iure reuertitur, nec obstat, quod dos in vxoris dominio naturaliter permaneat *L. 30. Cod. d. l. dot.* nec obstat, vt maritus adhibere debeat diligentiam rebus dotalibus *sec. L. 17. ff. pr. d. l. dot. L. 18. §. 1. solut. matr.* dominium non infringit, cum etiam dos venditor ad diligentiam praestandam sit adstrictus *L. 36. ff. d. act. emt. vend. L. 38. ff. pr. de damno infecto: dum heres fiduciarius quoque L. 22. §. 3. ad SCum Tertull.* et tamen vtrique attribuitur verum dominium *§. 3. l. de Emt. Vend.* Frustra etiam thesaurum non consequitur differentia enim intercedit, inter thesauri acquisitionem, et inter thesauri acquisiti restitutionem, non illa marito negatur, sed haec ipsi pro dimidia iniungitur, quoniam thesaurus non in fructus computatur. *L. 7. §. 13. ff. sol. matr.* et sic dos eius inuentione augetur *L. 37. §. 4. ff. h. t.* Nec obstat quod fundus dotalis dicatur alienus atque eandem ob rationem dimidiam partem thesauri in eo inuenti restituat: Nominatur enim alienus, non proprie, sed ratione euentus et futuri matrimonii soluti alienus *L. 16. ff. de part. dotal. L. 30. Cod. d. l. dot.* hinc marito dominium generale et reuocabile non autem temporale et spe-




speciale negandum *L. 66. ff. d. R. V. A. L. 205. ff. d. R. I. Ex L. un. §. 9. C. d. R. V. A. et L. 1. C. solut. matr.* demonstrari nequit, quod maritus rerum dotalium simplex sit fructuarius. Nam *L. 1. Cod. salut. matr.* agit de casu, ubi adiectum fuit pactum de restituendo partu ancillarum, pertinet enim iuxta *L. un. §. 9. C. d. R. V. A.* partus ancillarum dotalium ad mulierem, quia ille non est in fructu *L. 28. §. 1. ff. d. usur.* sed fit augmentum et pars rei dotalis *L. 69. §. 9. ff. de l. dot. L. 31. §. 4. sol. matr.* Praeterea partim ad mulierem pertinet, non statim, sed denique soluto matrimonio Nullius quoque momenti est, quod dominium sit rerum singularium, dos vero quoddam ius vniuersale: Quomodum enim dos quoque in rebus singularibus constituitur *L. 10. ff. de l. dot.* dominiumque sit vniuersitatis et patrimonium appellatur, tum quod multae et diuersae res in dotem, tum quaedam accessiones dotem augeant: Ex remotione domini rerum incorporalium non infertur remotio domini rei dotalis, non obstat, quod res incorporales in dotem dentur. *L. 7. §. 2. ff. de iur. dot. L. 2. §. 1. ff. de dot. prael.* licet enim tali in casu marito dominium attribui nequeat, non tamen inde sequitur marito, non competere aliquod ius in re. Ex his omnibus apparet, maritum esse dominum rei dotalis, licet dominium eius quodammodo sit restrictum. Quod si enim emtor a venditore rem quandam emerit, pactum autem promittens intercesserit, nonne erit dominium penes emtorem, licet iuri alienandi limites intelligantur positi? Quod si Maeuius aedes a Testatore relictae fuerint, alienari tamen prohibita, nonne Maeuius dominium habet? Hinc commode concludendum, eum etiam alicuius rei esse dominum, cuius dominium aut restrictum sit, aut non omnibus domini effectibus gaudeat.

### §. VIII.

Omne vterius dubium explodendum, quin dos commode dominio accenseri queat, quando intelligimus, rei dotalis dominium





nium mediante dotis datione mutari §. 4. *I. d. R. A. D. L. 47. §. fin. ff. de pecul. et in maritum transferri. L. 7. §. 3. L. 75. ff. d. I. Dot. L. 23. Cod. eod. L. 13. §. 2. ff. de fund. dotal. L. 1. §. 7. ff. pro dote L. 21. §. 4. ff. admunicipal.* Praeterea marito non modo domini appellatio verum etiam effectus attribuuntur. Percipit enim ille fructus dotales. *L. 7. pr. ff. d. I. Dot. L. 10. Cod. eod. L. un. §. 9. d. R. A. D. seruum dotalem manumittit. L. 21. ff. d. manum. L. 3. Cod. de I. dot. habet vindicandi facultatem L. 28. C. b. r. quamuis a nonnullis haec vindicandi potestas comparetur cum potestate vindicandi, qualis tutoribus et curatoribus, competit, cum maritus non alieno vel proprio nomine rem dotalem vindicet, quod de tutoribus, et curatoribus asseri nequit, cui accedit, quod et vxori vindicatio denegetur. *L. 9. C. d. R. V. haec tamen contra eum concedatur L. 20. ff. rer. amot. vtitur conditione furtiua et ad L. Aquil. L. 18. in fin. ff. solut. matr. quae actiones non nisi domino competunt. L. 11. §. 6. ff. ad L. Aquil. L. 1. L. 7. ff. de condict. furt. L. 14. L. 16. ff. de furt.**





ULB Halle  
005 377 420

3











P. 401

1777/52.  
21

DISSERTATIO  
IVRIS CONTROVERSI

DE

IVRE DOTIS DOMINIO  
RECTE ACCENSENDO

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

PRAESIDE

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

COD. P. P. O. ECCLES. CATHEDR. MARTISB. CAPITVL. CVRIAE  
IN PROVINCIA SVPREMAE IVDIC. LVSTAT. INFERIOR.  
NEC NON FACVL. IVRID. SENIORE ET  
ACADEM. DECEMV.

IN AVDITORIO ICTORVM

D. XXX. IVL. MDCCLXXVII.

DEFENDENDAM PROPONIT

AVCTOR ET RESPONDENS

CARL AVGVST HORN  
LIPSIENS.

LIPSIAE

EX OFFICINA RVMPFIA.

